Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Theses inaugurales argumenti obstetricii

https://hdl.handle.net/1874/299912

THESES INAUGURALES ARGUMENTI OBSTETRICII.

1912486.

27

THESES INAUGURALES
ARGUMENTI OBSTETRICII,

QUAS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS,

PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. ET JUR. UTRIUSQUE DOCT. IN FAC. LITTER. PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

GERARDUS PETRUS VAN TIENHOVEN,

MEDICINAE DOCTOR,

e pago de Werken.

A. D. VIII M. MARTII, A. MDCCCLXII, HORA VII.

Amstelodami,

APUD D. B. CENTEN.

MDCCCLXII.

THESES.

I.

Obstetriciam una cum aliis artis salutiferae partibus exerceri nihil vetat.

II.

In ea partus difficultate, quae curam requirit vel foetui vel matri periculosam, tenendum est, hujus vitam pluris faciendam esse.

III.

Causa, cur fundus uteri non gravidi dextrorsum vergat, posita est in flexura sigmoidea et recto intestino saepe repletis.

IV.

Dolor et spasmus introitus vaginae metroscopiam non vetant.

V.

Quae causae mechanicae non debentur gravidarum molestiae soli sanguinis mutationi tribui nequeunt.

VI.

Ptyalismus gravidarum morphium requirit.

VII.

Gravida non exploretur in statu erecto.

VIII.

Partum praematurum provocare in gravida, quae tumorem fibrosum in utero gerit, haud parvae utilitatis est.

IX.

In gravida, cui foetus, quos in utero gerebat, post septimum mensem iteratâ vice demortui sunt, partus praematurus provocari debet.

X.

Distinctio molarum carnosarum et hydatidum arbitraria est.

XI.

Eclampsia puerperae nunquam est uraemiae symptoma.

XII.

Non in omni puerperae eclampsia sanguinis detractiones omittendae sunt.

XIII.

Malum est ob nimios dolores membranas perforare, antequam ostium uteri plane dilatatum sit.

XIV.

Foetus uteri rupturâ in cavum abdominis delapsus et emortuus laparotomia amovendus est, nisi obstet generalis gravidae conditio.

XV.

Perinaeum in partu sustentandum est.

XVI.

Versio in caput fiat conjunctim adhibitis methodis, quas Busch et d'Outrepont commendarunt.

XVII.

Inversio uteri non semper est effectus funiculi imprudenter adducti.

XVIII.

Durae membranae causa esse possunt dissolutionis placentae.

XIX.

In retentione placentae passiva methodus improbanda.

XX.

Deficiente muliebri, lac caprinum optimum est infantibus alimentum.

Drukkerij van Ellerman & Hoitsema.